



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Die XXV. Maji. In Festo S. Gregorii VII. Papae &  
Confessoris**

**[Paderborn?, 1770?]**

In II. Nocturno.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62786](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62786)

*Die XXV. Maji.*  
IN FESTO S. GREGORII VII.  
PAPÆ & CONFESSORIS.

Duplex.

*Omnia de com. Conf. Pont. præter seq.  
Oratio.*

**D**EUS in te sperantium fortitudo, qui  
Beatum Gregorium, Confessorem tu-  
um, atque Pontificem pro tuendâ Ecclesiæ  
libertate virtute constantiæ roborasti: da  
nobis ejus exemplo, & intercessione, omnia  
adversantia fortiter superare, Per Domin.

*Lectioes I. Noct. de Script. occ.*

IN II. NOCTURNO.

*Lectio IV.*

**G**REGORIUS Papa Septimus, antea Hil-  
debrandus, Suanæ in Etruria natus,  
doctrinâ, Sanctitate, omnique virtutum ge-  
nere, cum primis Nobilis, mirificè univer-  
sam DEI illustravit Ecclesiam. Cùm parvu-  
lus ad Fabri ligna edolantis pedes, jam lite-  
rarum inscius, luderet, ex rejectis tamen  
segmentis illa Davidici elementa oraculi:  
Dominabitur à Mari usque ad Mare; casu  
formâsse narratur, manum pueri ductante  
numine, quo significaretur, ejus fore amplif-  
simam in mundo auctoritatem. Romam de-  
inde profectus, sub protectione Sancti Petri  
educatus est. Juvenis Ecclesiæ libertatem à

)(

lai-

laicis oppressam, ac depravatos Ecclesiasticorum mores vehementius dolens, in Cluniacensi Monasterio, ubi sub Regula Sancti Benedicti austerioris vitae observantia eo tempore maximè vigebat, Monachi Habitum induens, tanto pietatis ardore Divinae Majestati deserviebat, ut à Sanctis ejusdem Cænobii Patribus Prior sit electus. Sed Divinâ providentiâ majora de eo disponente in salutem plurimorum, Cluniaco eductus Hildebrandus, Abbas primùm Monasterii Sancti Pauli extra muros Urbis electus, ac postmodùm Romanæ Ecclesiæ Cardinalis creatus, sub summis Pontificibus, Leone Nono, Victore Secundo, Stephano Nono, Nicolao Secundo, & Alexandro Secundo, præcipuis muneribus, & legationibus perfunctus est, Sanctissimi, & purissimi Consilii Vir à Beato Petro Damiani nuncupatus. A Victore Papa Secundo Legatus à Latere in Galliam missus, Lugduni Episcopum Simoniacâ labe infectum ad sui criminis confessionem miraculo adegit. Berengarium in Concilio Turonensi ad iteratam hæresis abjuramentum compulit. Cadolai quoque Schisma suâ virtute compressit. ¶ Inveni.

*Lectio V.*

**M**ortuo Alexandro Secundo, invitatus, & mcerens unanimi omnium consensu, deci-

decimo Kalendas Maji, Anno Christi millesimo septuagesimo tertio, summus Pontifex electus, sicut sol effulsit in Domo DEI; nam potens opere & sermone, Ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ, Fidei propagandæ, libertati Ecclesiæ restituendæ, extirpandis erroribus, & corruptelis tanto studio incubuit, ut ex Apostolorum ætate nullus Pontificum fuisse tradatur, qui majores pro Ecclesia DEI labores, molestiasque pertulerit, aut qui pro ejus libertate acrius pugnaverit. Aliquot Provincias à Simoniaca labe expurgavit. Contra Henrici Imperatoris impios conatus fortis per omnia athleta impavidus permansit, seque pro Muro Domui Israël ponere non timuit, ac eundem Henricum in profundum malorum prolapsum Fidelium communionem, regnóque privavit, atque subditos populos fide ei datâ liberavit.

*℞. Posui. Lectio VI.*

**D**um Missarum solemniam perageret, visa est viris piis columba è cælo delapsa humero ejus dextro insidens alis extensis caput ejus velare, quo significatum est, Spiritûs Sancti afflatu, non humanæ prudentiæ rationibus ipsum duci in Ecclesiæ regimine, Cùm ab iniqui Henrici exercitu Romæ gravi obsidione premeretur, excitatum ab hostibus incendium signo Crucis extinxit. De  
ejus

ejus manu tandem à Roberto Guiscardo Du-  
ce Northmanno ereptus, Cassinum se con-  
tulit; atque inde Salernum ad dedicandam  
Ecclesiam Sancti Matthæi Apostoli conten-  
dit. Cùm aliquando in ea Civitate sermo-  
nem habuisset ad Populum, ærumnis con-  
fectus in morbum incidit, quo se interitu-  
rum præsciuit. Postrema morientis Grego-  
rii verba fuere: Dilexi justitiam, & odivi  
iniquitatem, propterea morior in exilio. In-  
numerabilia sunt, quæ vel fortiter sustinuit,  
vel multis coactis in Urbe Synodis sapienter  
constituit; Vir verè Sanctus, criminum  
Vindex, & acerrimus Ecclesiæ Defensor.  
Exactis, itaque in Pontificatu annis duode-  
cim migravit in cælum, Anno Salutis mille-  
simi o octogesimo quinto, pluribus in vita,  
& post mortem Miraculis clarus, ejúsque  
sacrum Corpus in Cathedrali Basilica Saler-  
nitana est honorificè conditum.

¶. Iste est.

### IN III. NOCTURNO.

*Homil. S. Hilarii in Evang. Vigilate. de  
eod. com. 2do loco. Missa Statuit. Evang. ut  
suprà.*

